Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 13

Quelle:
Copyright:

verba: *et filias multas. L. Nehemiae. Esdrae II.* reipsa III. hic in *Capita* XXV. sectus. *Tobias. Judith. Esther Capp.* XVII. nam c. XIII. in duo divisum est. *Job. Psalterium* hoc rubro: *Incipit liber ympnorum siue Soliloquiorum prophete dauid. aduentum christi. incarnacionem de christo.* Est vero non illa e *graeco* Versio *Psalmorum*, quam in *Vulgata* retinuimus, ne, ut ait *Vallarsius Praef.* in T. IX. *Opp. Hieronymi*, turbae in populo longa jam habitudine Psalmis illis assueto cierentur, sed *Hieronymi* interpretatio ex *hebraica* veritate, quae habetur *col.* 1153. T. *supracit.* singulisque *Psalmis* subjunctae sunt piae *precationes*, quas typis commisit *Georg. Cassander Opp.* p. 423. Ad calcem adjectus est spurius ille Psalmus: *Pusillus eram inter fratres* &c. de quo jam alibi dictum. Hinc jam sequuntur *Salomonis Parabolae. Ecclesiastes. Cantica Canticorum* in modum dialogi infertis minio Interlocutorum nominibus. *L. Sapientiae. Ecclesiasticus* subjecta jam saepius memorata *Oratione Salomonis*, post quam miniata haec clausula: *Expliciunt libri quinque Salomonis regis sub anno domini M°. CCCC°. Isaias. Jeremias*, inter quem et *Baruch*, nescio quomodo, intercedit particula ultima *Libri IV. Regum. Ezechiel. Daniel. Prophetae XII. minores*, *Malachias* tamen ante *Zachariam. Libri II. Machabaeorum.* Omnes hi Libri aut *Praefationibus Hieronymi*, aut brevioribus illis, notisque *Summariis* s. *Argumentis* instructi sunt. Duo postremi *Hrabani Mauri* Epistolas ad *Ludovicum* Regem et *Geroldum* Archidiaconum praeferunt, quas vide *T. Opp.* ejus IV. *Colon. edit.* p. 380. et supra *Cod.* II. *Novum Testamentum* a *fol.* 356. p. 2. auspicatur, continetque IV. *Evangelia. Pauli Epistolas XIV. Actus Apostolorum. Canonicas Jacobi, Petri, Johannis*, cujus I. c. 5. *triplex testimonium* integrum est et intactum, et *Judae;* demum *Apocalypsin. Praefationum* eadem est ratio, quae in V. T. Codicem claudit nota illa *Nominum hebraeorum graecorumque Interpretatio*, quae absque inscriptione *fol.* 448. sic incipit: Aaron *mons fortis uel mons fortitudinis* &c.

V. VIII E. 32.

Codex membraneus lat. Sec. 381
XIV. Folior. 319. 4. per duas columnas minutissimo sed pereleganti charactere scriptus, literis initiorum coloribus auroque fulgidis complectitur *Sacra utriusque Testamenti Biblia*, quorum haec ratio. Praefationes *Hieronymianae* omnibus Libris, in quos habentur, praefixae, et saepe pluribus angustis columellis vario colore, etiam lineatim alternante, venustissime exaratae sunt. Maxima Librorum Pars praeviis *Capitum Summariis* gaudet. Ante *Summaria Geneseos* legitur: *Incipit prologus tocius veteris hystorie.* Sunt Disticha XLII. Autor tacetur, qui est *Theodulphus* Ep. *Aure-*

lian.